





B. 1799 vac
DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

1798
8
6
IVRE PRINCIPIS CIRCA IMMUTANDA
EMENDANDAQUE EA, QVAE IN
FVNDATIONIBVS AD PIAS CAVSAS
SPECIALITER A FVNDATORIBVS
DETERMINATA SVNT.

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

ORDINIS

AVCTORITATE ATQVE CONSENSV

PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS RITE
OBTINENDIS

D. XII. MART. MDCCXCVIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS GVILIELMVS KOPPE

HANNOVERANVS.

HELMSTADII

EX OFFICINA C. G. FLECKEISEN.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



VIRO CONSVLTISSIMO ATQVE ILLVSTRI
GEORGIO HENRICO NIEPER

POTENTISS. MAGN. BRITT. REG. ET ELECT. BRVNSV.

LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS

QVEM

PATRIS VICE A FATIS PROSPERIS SIBI DATVM

FILII SEMPER PIETATE VENERATVS

PATRIS COGNOMINE PVBLICE ALIQVANDO COMPELLARE

IAM DVDVM IN VOTIS HABVIT

HASCE QVALESCVNQVE INGENII PRIMITIAS

IN PERPETVVM GRATI PIQVE ANIMI MONVMENTVM

SACRAS ESSE VOLVIT

ILLI OBSEQVIOSISSIMVS

AVCTOR.



INTRODVCTIO.

§. 1.

Tempora mutantur et nos mutamur in illis.

Tempora mutari et nos in illis, omnesque semper, labentibus annis, gentes, moribus, literis, arte, sapientia, luxu vel crescere, vel ad certum aliquem gradum euectos, rursus decrefcere, quis est qui non intelligat? Hinc innumerae istae rerum vicissitudines, quibus historiae annales referti legentium animos oblectant: hinc Roma illa, terrarum olim, deinceps animarum dominatrix, nunc in superstitionis infirmitatis receptaculum degenerata: hinc illa Graeciae deserta, iam seruorum barbarorumque sedes, olim Musarum templa, libertatis virtutisque sanctuaria: hinc septentrionalis Europa nostra, feritatis olim immanitatisque patria, nunc demum Musarum cultrix, bonarum artium faulrix, omnium fere terrarum regnatric. Quid porro de grauibis istis, quae per nouissima tria saecula accidere, religionis vicissitudinibus, quid de populorum e seruitute in libertatem vindicatorum mutationibus, quid de illo denique hominum eiusdem aetatis in praedilectas quasdam opiniones concurrentium impetu, quem, perpetuis, cursu temporum, variationibus obnoxium *genium seculi* vocare solent, dicamus?

A

§. 2.

§. 2.

Temporum mutationes qua ratione Icto spectandae?

Diuerſas haſce populorum temporumque viciffitudines obſeruantes in diuerſas abripimur ſententias, prout hanc illamue a fatiſ concedam nobiſ conditionem meditationibus noſtris ducem tanquam et moderatricem praeficimus. Aliam philoſophus, aliam hiſtoricus, aliam ſacrarum literarum interpres, humanarum rerum contemplandarum, ſuo quique modo, rationem ſibi conſtituunt. Noſ autem, qui iuriſ ſcientiae noſ cultoreſ proſitemur, regnorum et rerum publicarum conuerſiones hominumque mutationes contemplanteſ eo potiffimum ſtudiorum noſtrorum ratione ducimur, vt qualem et quantam mutationeſ iſtae circa *leges et iura* ciuitatum vim exercere poſſint et debeant, diligentius perſcrutemur. Leges ſcilicet qualicumque eorum, quibus latae fuere, tam phyſicae quam morali conditioni adaptatae et congruae ſint, neceſſe eſt. Quaecumque enim phyſicae vel morali conditioni noſtrae proſuſ repugnant, fieri nequeunt, quae non plane cum eadem conueniunt, ita comparatae ſunt, vt longe meliſ ſe habere poſſint. Ad ea vero quae fieri nequeunt ne vlla quidem cogitari poſſeſ obligatio; ad inutilia et genio temporum miniſ conuenientia obliganteſ leges non ita ſe habent, vt communi rerum publicarum conſtituendarum fini et ſcopo ſatiſ reſpondere putandae ſint. Qua de re non ſolum doctoreſ philoſophoſque ſpectatiſſimoſ (a), ſed et ipſoſ Canonici iuriſ auctoreſ, licet plurimum nonnunquam hi a recta iuſtaque legum ferendarum philoſophia aberrare ſoleant, plane mecum conſentienteſ habeo (b). Quamdiu itaque phyſica hominum moralisue conditio e temporum varietate et ipſa variabit, lex poſitiua perpetua et eo conſilio lata, vt, nulla emendatione

ne

ne admissa, in aeternum valeat, sanae, si quid sentio, rationi repugnat. Quare lubens eorum quoque sententiae accedo, qui ius diuinum posituum vniuersale, a multis praesertim superioris saeculi, Ictis assertum, cum ipsa summi numinis sapientia pugnare ideoque ne cogitari quidem posse arbitrantur (c).

- a) SAM. STRYCK de salute publica (in ei. diff. III. 16.) c. I. 28.
 E. C. WEISSE de legib. ingenio populor. accomodand. (Lips. 1786.) §. 15.
 PH. HEDDERICH de potestate princip. circa vlt. voluntat. ad p. c. earumq. priuileg. (Bonn 1779) §. 4.
 MONTESQUIOU de l'esprit des loix: l. I. ch. 3. XIV. 1.
 b) cap. 8. X. de consang. et affin.
 c) cf. HENNESEN de non existentia leg. div. positiv. vniuers. (in ei. opusc.) p. 57 199.
 SAM. PUFENDORF droit de la nature, trad. par Barbeyrac, l. I. c. 6. §. 13. not. 6.

§. 3.

Leges vel publicae vel priuatae.

Leges, sensu iuridico, eoque latissimo, sunt normae agendi perfecte obligatoriae. Quarum tamen ratio duplex est, prout vel ab imperante, vel a priuatis proficiscuntur. Nemini enim fugit, saepissime fieri, vt priuatis ius competat aliis normas agendi perfecte obligatorias cum effectu praescribendi. Sunt itaque leges, sensu latissimo, subiecti ratione habita, vel *publicae* vel *priuatae*. Vtraque earum species semper populorum temporumque genio conueniens esse debet: vtraque enim fertur actiones hominum moderatura, quarum ipsarum rationem e variis temporum morumque vicissitudinibus pendere demonstratum est.

§. 4.

Leges publicae.

Iam

- 1) quoad leges publicas salua res est et nulli dubio obnoxia. Potestas legislatoria publica, in ciuitate ordinata, nunquam exstinguitur, sed, salua ciuitate ipsa, perpetua exstat. Semper itaque adest, quae leges suas, e genio temporum, supplere emendareque possit. Quod etiam re vera quam plurimum fieri, sexcentum quotidie exempla demonstrant.

§. 5.

Leges priuatae.

Quod autem

- 2) ad *leges priuatas* attinet, longe aliter res se habet. Priuati, quibus alios, in futurum etiam, normis obligatoris a se proditis adstringere concessum est, uti communi mortalium fato subiecti sunt, sic neque futuras genii temporum conuersiones praeuidere neque iisdem dispositiones suas euentualiter vel realiter adaptare possunt. En triste exemplum, quanta sit humanarum rerum lubricitas, et infirmitudo; quamque parum physica naturae humanae conditio isti, qua melior indolis nostrae pars ad qualescunque res suas, ad altiolem perfectionis gradum prouehendas fertur, cupidini ac desiderio respondeat.

§. 6.

an et quomodo e genio temporum emendandae?

Sanctiones itaque priuatorum in tempora sequiora extensae, suapte natura, mancae, imperfectae et temporibus haud

haud raro incongruae sint necesse est. Quam infirmitatem, annon aliqua interdum ratione iuuare possimus inuestigaturi, distinguamus sic: Dispositiones priuatorum vel circa tale obiectum versantur, in quod, ex vna alteraue causa, specialem aliquam respublica curam et inspectionem sibi vindicat; vel non.

Illic respublica, seu, qui reipublicae personam sustinet summus imperans, priuato de eiusmodi obiecto legem ferenti et postea defuncto substituitur; defuncti igitur dispositionem, habita temporum ratione, emendandi atque corrigendi potestate nonnullis tamen limitibus circumscribenda vtitur. Quam quidem potestatem, licet nos non fugiat a multis viris doctis admodum in dubium vocari (a), solidissimis tamen fundamentis niti, luculentius infra ostendere conabimur.

Hic dispositiones priuatae, de quibus quaeritur, vel, temporis decursu, adeo a seculi genio recedunt, vt iure metuendum sit, ne quid respublica detrimenti, vigentibus illis, capiat; *vel non.*

Si prius, imperantis denuo est rempublicam ab omni laesione iure extimescenda, vi supremae potestatis sibi a subditis concessae, defendere:

Sin posterius, rem ita comparatam esse existimo, vt qualiscunq; humanorum legislatorum prudentia vix intelligam quomodo in melius eam vertere possit.

a) I. A. SCHLETTWEIN, die Gerechtigkeit in Absicht auf die Klöster und ihre inn- und ausländische Gefälle. Giefsen 1784. 8.



ultima voluntates praecipuum legum privatarum genus.

Præcipuum aliquem, inter privatorum leges, locum ultimæ voluntates summo sibi iure vindicant. Quibus, rem disponentis, in mortis futuræ euentum, ad alios transferentibus, sæpe accidere solet, ut speciales etiam nonnullæ determinationes, circa futurum transferendorum bonorum usum, obseruandæ adiungantur. Amant enim homines, etiam post obitum, suarum adhuc rerum administratores et quasi sibimetipsis superflites esse. Spectant huc donationes m. c. modales, nec non heredum institutiones legatorumque scriptiones sub modo factæ. Naturâ autem modi adiecti, pro summa ipsorum disponentium varietate, admodum variat. Sunt quorum intersit heredum gesta et facta, addito institutioni modo, limitare; sunt quos iuuet sui memoriam hac via certius conservare diuturnamque apud posterum reddere (a). Sunt qui aut patriæ, cuius desideria explorauere, amore adducti, aut animæ saluandæ superstiosa spe capti, ad certos usus publicos *piosue* partem bonorum a se relictorum decernant. Pertinent huc speciatim fundationes ad pias causas ea lege a testatoribus constitutæ, ut futuri ex illis usus capiendi strictiorem determinationem adscripserint. Quarum innumera maxime conspicua exempla per omnem Europam reperiuntur.

a) Ineptas sæpe et ridendas hic hominum suæ memoriæ conservandæ furor dispositiones parit. — Cur non id potius agimus, ut nostræ memoriæ factis egregiis immortalæ consequentes, nulla, ad eam conservandam, dispositione egeamus?

§. 8.

Pia causa quid?

Quid sit *pia causa* et quomodo definienda, quum in huius vocabuli notione cardinem tanquam commentationis meae verti praeuideam, paucis iamiam exponere liceat. Sicuti vero, IAVOLENO teste (a), *omnis definitio in iure civili periculosa parumque est, ut non subverti possit*, ita etiam circa *pias causas* definiendas multifariam a doctoribus disceptatum erratumque esse apparet. Pauci tamen exsistere qui veram et logicam *piae causae* definitionem ediderint; longe maior pars in eius modo generibus describendis, et re, quam definitu difficilem censuere, exemplis haud raro incongruis illustranda commorati sunt (b). Quod quidem, in tanto cuiusvis aevi hominum, de ipsius verae pietatis notione, dissensu mirum nobis videri nequit (c).

a) L. 202. D. de regul. iur.

b) I. C. HEIMBURG de his quae in ult. voluntat. per scriptur. priuat. declar. piis caul. relinquuntur. (len. 1736.) §. 1.

I. BRUNNEMANN ius ecclesiast. I. II. ad cap. 12. addit. 1.

A. TYRAQUELLUS in praefat. ad tractat. de privileg. piar. causar.

MEVIVS ad ius Lubec. P. II. t. 1. art. 7. §. 17 sqq.

c) MEVIVS l. c. §. 16.

§. 9.

Continuatio.

Quatuor *piarum causarum genera* occurrere contendit vir de iurisprudencia nostra omnimodo meritissimus I. H. BOEHMERVS (a). Confici quippe dispositiones tales, ait: 1) in vltus pauperum 2) pro anima 3) intuitu religionis Christianae eiusque promotionis, et 4) *ob utilitatem publicam.*

cam. Quam tamen descriptionem, falua scilicet reuerentia tanti viri inanibus procul dubio debita, latiore suo descripto et rei, de qua agitur, minus conuenientem esse existimo. Quamquam enim Romanorum scriptores amorem patriae et bene de patria merendi studium *pietatis* vocabulo saepe numero comprehendere, ideoque in patriae vtilitatem legata, ex elegantiori Romanae linguae genio, *pie* vel *piam* ad causam relictā vtique censerī posse, probe intelligam, nescio tamen an fieri possit, vt *piarum* causarum notio ex aereo potissimum, nec potius ex aeneo Romanorum loquendi vsu diiudicetur. Vox enim "*pius usus*" vel "*pia causa*" in iure Pandectarum, nisi omnia me fallunt, nusquam, in iure Romano recentiori autem nonnisi per aliquot Christianorum imperatorum constitutiones rarissime sparsa (b) occurrit, et in iure demum Canonico crebrius vsitata, e Canonistarum etiam loquendi vsu et ratione interpretanda est. In iure vero canonico pietatis vocabulum semper fere hoc sensu sumi, vt aliquam praeceptorum religionis Christianae seruandorum propensionem significet, plurima iuris pontificii loca demonstrant (c). Quid? quod pietatis notio ex aurea latinitate repetita non solum officia erga patriam sed etiam erga parentes et propinquos amplectitur, nemo vero ICTus legatum, quod filius patri in testamento adscriptae piaae causae relictum esse contendet. Quibus rationibus adducti publicae vtilitatis notionem ex *piarum* causarum definitione prorsus remouendam esse putamus.

a) in iure protest. eccles. II. 3. 26. 12, nec non in exerc. ad ff. T. V. p. 208 sqq.

cf. I. F. EISENHART de modo seruando in *pior. legator. interpretatione.* (Helmst. 1746.) §. 12. et 38.

b) Non

- b) Non nisi duas equidem leges huc spectantes reperire potui, quarum una
L. 19. C. de SS. eccles., piarum causarum, altera arg. L. 35. C. de epi-
scop. et clericis, piarum locorum vocabulum usurpat.
- c) cf. cap. 17. X. de testamentis
cap. 3. et 15. X. eod.
cap. 4. X. d. rer. permutat.

DE CRAMER de eo quod pium est in piis caus. ex impio ear. orig. minime
impugnando, in ei. opusc. III. p. 416.

§. 10.

Continuatio.

Propius, me quidem iudice, scopum ferit RECHENBERGIVS (a), cui omnia illa bona piae causae nomine veniunt, quae ex reuerentia diuini numinis vel Christiana dilectione, in gloriam et cultum dei externum ac usus egentium ordinis praecipue clericorum, a populo aut imperantibus, pia intentione, collata aut destinata fuerint. Recte enim hic sola religionis praecepta piis causis definiendis fundamentum substruxit, et id circa tantum errauisse videtur, quod piam fundatoris intentionem ad piae causae notionem conficiendam necessariam duxerit. Intentio autem fundatoris quomodo circa foundationis iam perpetratae qualitatem aliquid immutare valeat, equidem non intelligo (b). Quid enim? fac orphanotropheum quis suis impensis extruxerit, nulla nec humanitatis nec pietatis ratione compulsus; sed id modo agens ut perpetuum suae liberalitatis et munificentiae apud posteros monumentum conderet, num, quaeso, ob pietatis in fundatoris intentione defectum, orphanotropheum istud piarum corporum numero accensere dubitabis?

a) C. O. RECHENBERG de eo quod in piis caus. impium est. (Viteb. 1732.)
Sect. I. §. 2.

b) ZIEGLERVS in not. ad Lancelott. II. 22. "pia loca ait a fine quo talia
sunt non inepte appellari." Finis scilicet huiusmodi locorum consti-
tuen-

tuendorum pietas erat, cuius sensum canonicam § antecedenti ostendimus.

b) Similiter tamen sentit STRYCK de cautel. testament. cap. XII. §. 10.

§. II.

Continuatio.

Iam, quae a TIRAQVELLO (a), MENOCHIO (b), GABRIELIO (c), aliisque antiquioribus circa pias causas describendas disputata et magna ex parte somniata sunt, silentio praeteriturus, meam qualemcunque sententiam in medium proferam. Mihi autem *piae causae*, ut paucis rem explicem, *omnes illae* vocantur, *quas peculiaria religionis praecipua fauore prosequi iubent, seu ab eius cultoribus iubere putantur* (d). Spectant huc, apud nos, omnia cuiusvis generis bona ecclesiastica; omnia quae in alimentacionem pauperum, in sustentandam captiuorum orphanorum viduarumue sortem, vel in aegrotorum curam impenduntur; multa denique quae, saluti aeternae adipiscendae, ex erronea fundatorum intentione destinantur. Praecipuus enim religionis nostrae, circa ecclesias, diuini cultus humanaeque virtutis promotrices, praecipuus circa pauperes e Christiana dilectione alimentandos, orphanos suscipiendos, captiuos redimendos vel sustentandos versatur fauor. Quod autem ad ea bona attinet, quae saluti aeternae immediate consequendae destinantur, nostrae quidem fidei ea est mens atque ratio, ut rebus temporalibus ad salutis aeternae praemia euehi sperare nequeamus. Quare apud nos etiam nullae foundationes occurrunt, quibus, hoc respectu, piarum causarum cognomen tribui possit. Apud Catholicos tamen aliter res se habet. Probat nempe Catholica fides redemptionem animae per missas mercenarias efficiendam; quare etiam,

etiam, si quid inter Catholicos talibus missis impenditur, ad
 pias omnino causas referendum est. Vnde apparet, defi-
 nitionem quidem piae causae generaliter proponi posse,
 omnes vero ex definito species oriundas enumerari non pos-
 se. Piarum enim causarum criteria ex variis variarum reli-
 gionum praeceptis repetentes, plurimas simul earum spe-
 cies non absolute sed secundum quid tales existere fatemur.
 Quibus etiam, alio tamen respectu, academiarum schola-
 rumque fundationes recte accenseri videntur. Nequaquam
 enim mihi arridet eorum sententia, qui scholas et acade-
 mias piorum corporum cognomine indistincte venire arbi-
 trantur (e). Proximus quippe huiusmodi institutorum
 finis non ad peculiaria quaedam religionis praecepta adim-
 plenda, non ad diuinum cultum immediate promouendum,
 sed ad publicam potius vtilitatem, excultis in futuros rei-
 publicae vsus iuuenum ingeniis, adaugendam procul dubio
 tendit (f). Nec obstat quod historia docemur, fuisse ple-
 rumque scholas et academias piorum corporum numero,
 tam ab euangelicis quam catholicis adscriptas (g). Praua
 enim et erronea alicuius rei contemplandae ratio, licet cre-
 bro vsitata, naturam rei tamen commutare non potest (h).
 Quatenus autem, per academiarum fundationes, singulo-
 rum studiosorum inopiae atque egestati, in studiis suis pro-
 sequendis, succurritur, eatenus, secundum definitionem
 nostram, iure inter pias causas referuntur. Quare etiam,
 quicquid, ad annua studiosis pauperibus stipendia praestan-
 da, a testatoribus relinquitur, piae causae relictum esse
 omnimodo statuendum erit. Pietatis enim est pauperibus
 prospexisse.

a) in praefat. ad tractat. de priuileg. piar. causar.

b) de praefat. l. III. c. 115.

- c) de pia causa l. VI. concl. 2.
- a) *Materialiter* huic definitioni nostrae illa respondet, quam Ill. G. L. BOEGERMERS, quem nuper defunctum iurisprudencia luget, in *princip. iur. canon. §. 462.*, protulit. Nec tamen eam prius adoptare posse mihi visus sum, quia vocabulum definiendum ipsi rursus definitioni immiscuit. Venit enim illi *piae causae* nomine, quicquid concernit officia pietatis erga alios exequenda.
- e) RECHENBERG l. c. Sect. II. §. 5.
cf. Statut. Maximil. Henrici ducis Montensis et Iuliacens. ap. HEDDERICH l. c. §. 15.
I. W. KIPPING syntagma iur. ecclesiast. cap. XVI. §. 926.
- f) Ill. I. N. BISCHOFF, praeceptoris pia grataque mente colendi, Handbuch der deutschen Canzleypraxis, Th. II. B. I. §. 109.
- g) Constitut. ION. FRIEDERIC. elect. Sax. eiusq. filior. ap. HORTLEDER fernere Handlungen und Ausschreiben von den Ursachen des deutschen Kriegs. (Freß. 1617.) l. V. cap. 22. p. 1206 sqq. et cap. 27. p. 1219 sqq.
- I. I. MÜLLER von der evangelischen Stände Appellation und Protestation. (Len. 1705.) p. 764.
- Charondas ap. *Limmaeum* de iur. publ. l. VIII. c. 6. n. 8.
- Sic etiam *I. P. O. art. V §. 31.* res scholasticas religionis annexis adnumerat, et ad eas quoque normam anni decretorii extendit. Sed ne legum quidem fundamentalium verba, quatenus sunt mere enunciativa, obligare nos possunt, ut aliquam definitionem doctrinalem exarandam iis omnimodo adaptemus.
- h) cf. ex analogia L. 39. D. de legib.

§. 12.

Piarum causarum ratio, pro temporis ratione, mutata.

Pias causas, de quarum iam notione convenimus, quarumque in fauorem toties a testatoribus disponi videmus, omnium humanarum rerum instar, non semper imotas sibi que constantes durare, sed, una cum religionis, ex qua emanuere, praeceptis, mutato temporum genio et ipsas mutari facile intelligitur. Quare haud raro accidit,

vt,

vt, quae a maioribus nostris pia sanctaque habita sint, in summam, labentibus annis, impietatem degenerauerint. Hanc v. c. monasteria, hanc fundationes pro redimenda anima vel pro extirpandis infidelibus constitutae sortem nanciscebantur, postquam alma reformationis lux papalium dogmatum nebulas erroresque perruperat. Quin facile potuit euenire, vt causae piae, quamuis in nullam impietatem delabentes, tamen, immutata temporum ratione hominumque indole, non amplius fini suo responderent, ideoque mutatione aliqua vel conuersione ipsae viderentur quam maxime indigere. Quid enim? si, ad prima alicuius ecclesiae primordia promouenda, multi a multis annui redditus legati fuerint, ipsa vero deinde haec ecclesia in tantas paulatim opes ecreuerit, vt legata ista corruptioni magis et luxuriae quam verae pietati inferuirent? Quid? si, in paupere exiguaque ciuitate, multa ad sustentandos nutriendosque pauperes a piis testatoribus relicta, postquam commercii lucro vel rerum bellicarum prosperitate eadem ciuitas ditescere coepit, non amplius pauperum miseriae sed hominum inertiae potius et nequitiae fouendae profuerint. Quid tandem? vt vnum modo adhuc exemplum afferam, si quis testator certo ciuium ordini tunc temporis egenti ac tenui, postea vero ad locupletem prosperamque conditionem euecto, piis foundationibus, prospexerit. Nonne his et aliis exemplis innumeris satis superque demonstratum putabimus, pias etiam priuatorum dispositiones, ultra disponentium vitam extensas, mutatae temporum rationi minus conuenientes immo saepissime repugnantes multa nonnunquam emendatione indigere?

§. 13.

Disputationis ratio exponitur.

Quibus ita comparatis, quaestio oritur grauissima sane, multorum doctorum virorum controuersis agitata et ad nostra tempora quam maxime pertinens. Quaeritur quippe de iure principis, summi rerum publicarum moderatoris, circa emendandas, alias aliis substituendas vel e genio seculi prorsus immutandas speciales istas determinationes, quibus testatores legata ad pias causas relicta *certis determinatisque* vsibus consecrauerunt. Cui quaestioni diligentius, pro virum modulo, perscrutanda quum insequentes pagellas dicere constituerim, ita procedam, vt *primum*, quo iure princeps pias testatorum voluntates emendare possit, eruere studeam, *deinde* vero, num iure hoc suo vsus publicae vtilitati bene consulat necne, disquirendi periculum faciam.

PARS I.

QVO IURE PRINCEPS DEFUNCTOIVM PIAS VOLVNTATES
DETERMINATAS EMENDARE POSSIT?

§. 14.

Non omne iussum quod bene conuenit principi.

De aliquo summi imperantis iure disputaturus, nescio sane vnde opportunius et rei, de qua agitur, conuenientius exordium capere possim, quam si verba illustris cuiusdam ICTi de iurisprudencia nostra egregie meriti referam (a). Qui quippè „impiorum assentatorum nomine illos quoque ICTos „venire contendit, qui in consilium a principibus adhibiti „ea suadeant, quae non *iustitiae* sed ambitioni avaritiae libi- „dini

„fina ceterisque affectibus principis conueniant. Hos omnis
 „propemodum mali, quod in rempublicam redundet, cau-
 „sam praebere. Nec enim principes, nisi hos duces et
 „auctores habent, tam audacter grassaturos esse. Sed
 „quum hi homines iis viam eludendi et detorquendi leges
 „consiliis suis aperiant, ipsique praecedant, sequi illos non
 „erubescere.” — Admodum sane cuius de iure principum
 acturo cauendum erit, ne iustitiam cum despotico isto supre-
 mae inspectionis abusu confundat, quem vt plerumque pro
 iustitia accipiant, egregie saepe imperantes deperditorum
 assentatorum suasionibus adducuntur (b). Iura omnibus
 hominibus nata, et regibus non minus quam subditis summa
 religione colenda constituta sunt. Quare, in omnibus prin-
 cipum factis, vtrum licita an illicita sint, diiudicandis, non,
 quatenus cum hac illaue politica imperantium opportunitate
 bene conueniant, sed quatenus iustitiae, ius suum constanter
 cuique tribuentis, genuino candori respondeant, attendendum erit.

a) A. LEYSER meditationes de assentionibus ICtorum cap. III. S. 2. §. 27.

b) SCHLETTWEIN l. c. §. 2.

§. 15.

Salus publ. quatenus lex suprema?

Quum tamen ea sit humanarum rerum debilitas atque
 titubantia, vt, in rebus publicis constituendis, subditorum
 imperantiumque iuribus determinandis, futuri rerum multi
 euentus praeuideri nequeant, iisque adeo ab initio prospici
 non potuerit, accidit nonnunquam, vt, in status extraor-
 dinarios republica deducta, supremus ciuitatum ordinanda-
 rum finis extra ordinem etiam sibi remedia quaerere, et,
 ad

ad rempublicam factam sectam conseruandam, legibus iuribusque superfedere iubeat. Vrgente itaque necessitate et graui neque simulato periculo rerum publicarum securitati et saluti imminente, ordinariis autem remediis prorsus deficientibus, legibus soluitur princeps, et, quaecunque, istius necessitatis vel periculi auertendi causa, agat, iure agit non iniuria. Vnde factum est, vt multi doctores Ciceronis illud "*salus publica suprema lex esto*" summam omnino imperantium actionibus normam praescribendam putauerint. Quorum tamen sententiae non nisi caute admodum et circumspecte assentiendum videtur. Quid enim salutis publicae notione vagius, quid facilius est quam eius praetextum ipsi adeo substituere et assimilare, vt eo munitus princeps omnia fere iura pedibus terere, et de omnibus ciuitatis rebus pro mero arbitrio disponere possit? Quid? si qua principem, locupletum priuatorum bonis potiundi, vel statuum prouincialium iura auferendi libido inuasit, quid quaeso impedit, quo minus, salutem publicam hoc poscere, speciosissimis argumentis contendat? Hinc plurima despotica regna prima initia cepere, adeo vt subditis salutem publicam supremam principi legem concedentibus magno pere semper metuendum sit, ne serui ex ciuibus fiant. Quare cuius potius integro et candido libertatis patriae fautori statuendum erit, nullam omnino, *in statu ordinario*, violatis singulorum iuribus, salutem publicam intelligi posse, et nunquam imperantem legibus solui, nisi, *in statu aliquo extraordinario*, vera id et vrgens non palliata necessitas, verum non simulatum reipublicae periculum iusserit (a).

a) ANONYMVS: über die Verwendung des Kirchenvermögens, in GILSBERG'S und HAGEMANN'S Archiv der theoret. und pract. Rechtsgelehrsamkeit, Th. II, p. 15.

§. 16.

 Applicatio.

Haec autem verae necessitatis evidētisque rerum publicarum periculi ratio, hic etiam, interdum adhibenda intelligitur. Vnde perspicuum est principem, illa ratione commotum, pias etiam testatorum voluntates recte rescindere, emendare, commutare (a); nec, *quo iure* id possit, quaerendum esse, quum extraordinarius, in quo tunc respublica versatur, status extra omnia eum iura omnesque leges posuerit. Nullus itaque dubitauerim quin, aerario publico bellicis aliisque publicis calamitatibus profus exhausto, princeps, territorii fines a superbi victorisque hostis inuassione defensurus, bona ecclesiastica, in res bellicas gerendas, recte impendat; nullus dubitauerim, quin, pium sic dictum corpus aliquod nocens et calamitosum dissoluens, eius bona legatis donationibus vel quavis alia ratione acquisita in alios pios usus recte conuertat (b): eo tamen seruato modo, vt, quae singulis ita, contra ius quaesitum et praeter culpam suam auferantur, quam primum copia data fuerit, restituantur iis et compensentur. Damnum enim, quod singuli pro omnibus patiantur, omnium contributione refarciendum esse, legum, aequitatis et clarissimorum Ictorum iudicio luculenter demonstratum est (c).

- a) SAM. STRYCK de iure princip. circa mortuor. iudic. (Lipf. 1715. in ei. dissert. Halenf. I. 5.) c. III. §. 1.
- b) I. F. BOEHMER über die gesetzmässige Besitznehmung der Jesuitengüter nach Erlöschung ihres Ordens. (Frcf. und Leipz. 1781.) Hptst. I. §. 2. et 12.
- c) L. I. D. de leg. Rhod. d. iact. III. HAEBERLIN, praeceptoris pio animo in aeternum colendi, Handbuch des deutschen Staatsrechts §. 119.

*Principis ius, de quo agitur, quatuorplex ratione considerandum
in statu ordinario?*

Haecenus igitur saluam rem habemus et extra omnes controuersiae fines procul dubio positam. Iam denique ad statum reipublicae ordinarium, neque necessitate, neque periculo urgente siue instante perturbatum, redeuntibus, ex quibusnam tum legibus principis, in piarum causarum commutationibus, potestas iudicanda sit, propius inuestigabimus. Quum autem generaliter omnia ea recte et iure fieri dici possint, quae non in illicitum alterius praeiudicium uertant, nobis etiam de summi imperantis, circa emendandas determinationes foundationibus ad piarum causas adiectas, iure quaerentibus praecipue circumspectum erit, utrum huiusmodi emendationes alteri cuius iniuriam seu praeiudicium afferre videantur, necne. Qua de re ubi constitit, ius illud, de quo agitur, utrum absolute an secundum quid an omnino non principi competat, facile euaserit intellectu. Complures autem personae existunt, quibus annon tali piarum voluntatum emendatione a summo imperante facta iniuste praeiudicari possit, altioris sine dubio est indaginis. Adest nempe testator, qui, ultimam voluntatem de suis bonis legitime confectam in perpetuum, si voluerit, seruari, iure postulare videtur: adsunt et alii quibus iura ex ultima testatoris voluntate nata, inuitis ipsis, auferri nequeunt. Quare ipsa haec prima dissertationis nostrae pars duplici modo dispescitur, ita ut ius principis, de quo agimus, *primum* testatoris, cuius dispositioni derogaturus est, *deinde* vero eorum, quibus iura ex ultima testatoris voluntate nata sunt, ratione habita, contemplaturi simus.

DIS-

DISQVISITIO I.

Quatenus principi ius emendandi foundationes ad p. c. determinatas competat intuitu testatoris?

§. 18.

Ius testatoris circa voluntatem suam exsequendam quale?

Facultas de bonis suis, in euentum mortis, cum effectu disponendi iuri naturali incognita (a), ciuilibus primum legibus constituta est. Non solum enim aequitatis esse videbatur, vt hominibus, quod suum erat in casum mortis ad alios transferendo, ex rebus suis quam plenissimum et longissimum immo aliquem, extinctis ipsis, usum capere liceret; non solum apparebat, auctum iri ciuium studia et industriam, si *is* aliqua, circa id quod studio et industria quaesiuere, potestas ne defunctis quidem denegaretur; sed etiam ratio publica suadebat, ne res defunctorum in res nullius abire multisque perturbationibus ansam praebere legislatores sinerent. Quare iam XII tabb. legibus contentum videmus notissimum illud, "pater familias vti legasset super pecunia tutelaue suae rei *ita ius esto*: cui principio, recentiori iure nostro, non solum non derogatum sed etiam eateenus indultum est, vt omnes fere defunctorum dispositiones modo legibus non contrarias quam religiosissime obseruandas esse cautum sit. Non potest itaque in dubium vocari ius *viuentis* testatoris strictissimam exigendi voluntatis suae executionem: num vero defunctorum etiam fata hoc ius transgrediatur, alia mihi videtur quaestio. Neque enim intelligo quomodo demortuo et e ciuili societate rerumque humanarum commercio prorsus sublato iura adhuc competere vel laesio iniuriaue inferri possint. Dispositiones igitur

testatorum, post eorum obitum, immutando, proprie nec laeduntur ipsi nec iuri eorum derogatur. Quum autem vltimarum voluntatum custodiendarum partes in se leges receperint, et, de earum incolumitate, tanquam vigiles, testatoribus cauere decreuerint, fieri posset, vt vltimarum voluntatum sanctitati princeps derogans in harum legum posituarum fraudem et sic, quoad testatorem, iniuste ageret. Quod quatenus ita se habeat, vberius disquirendum erit.

a) G. HVFELAND Grundätze des Naturrechts. (Auff. 2. Jau. 1795.) §. 332.

§. 19.

Inepta testatorum voluntas non sequenda.

Voluntatem testatoris e legibus nostris perficiendam obseruandamque esse, tantum abest vt negem, vt potius hinc firmissima, pro sententia, quam mihi defendendam sumsi, in medium proferre argumenta mecum constituerim. Occurrunt tamen varia exempla ipsis legum verbis comprehensa, quibus regulam istam prorsus adaptari non posse perspicuum est. Quid enim? si quis testator inepte et temere, quid si in fraudem reipublicae, in praeiudicium tertii de suis disposuerit? quid si impossibilem conditionem modumue dispositioni adscripserit (a)? Tunc profecto quae tali modo disposita scriptaque fuere, ipsarum legum auctoritate intercedente, pro non dispositis scriptisque habebuntur. Iure itaque STRYCKIUS (b), absurdam eorum voluntatem, qui pretiosiora sua vna cum cadauere sepelienda iusserint, a principe rescindi contendit, addita ratione legis, quia reipublicae expediat, ne quis re sua male vtatur (c). Quod enim ius circa viuos homines reipublicae competit, vt re sua male vtentem pro prodigo declarare, et ab omni bono-
rum

rum suorum administratione arcere possit, id cur non circa demortuos etiam eidem tribuendum sit, equidem non video.

- a) L. 4. D. d. administ. rer. ad ciuit. pertinent. L. 26. pr. C. de S. S. eccles.
 CHR. THOMASIVS de natura bonor. secularifator. (Hal. 1748.) §. 13.
 b) l. c. cap. I. §. 13.
 c) §. 2. I. de his qui sui vel alieni iur.

§. 20.

Duplex humanae voluntatis natura.

Valente autem regula supra prolata, et vltima testatoris voluntate ita comparata vt, quae continet, sanae rationi consentanea deprehendantur fierique possint, nec reipublicae noxia videantur, principis ius, de quo agitur, rectorium defensusus non possum quin de voluntatis humanae natura nonnulla praemittam. Omnis scilicet, de qua lis moueri potest, hominum voluntas vel declarata est vel praesumta; declaratio vero vel verbis fit vel factis. Quod ad praesumptionem voluntatis attinet, duplex ea est, oriturque vel ex generalibus philosophiae, experientiae, aequitatisque principiis, vel ex specialium quorundam factorum, circa personam eius, de cuius praesumta voluntate quaeritur, concursu. Sicuti vero legem specialem semper fere derogare generali, negari nequit, ita etiam *speciales* haec voluntatis praesumptiones *generaliores* illas plerumque absorbere et tollere concedendum est. Exstant autem nonnulla philosophiae practicae praecepta adeo salubria adeo supremo humanarum rerum fini conuenientia, vt praesumptiones ex iis oriundae quamuis generales, quibuscunque nihilominus specialioribus locum praeripere putandae sint. Quoties igitur, quod circa defunctorum imprimis san-

cita occurrit, in hominum dispositionibus explicandis, de eo res agitur, ut declaratam quidem sed minus plene declaratam eorundem voluntatem ex praesumpta interpretari et, hac adiutrice, illius defectus lacunasque supplere debeamus; toties ad illam ante omnes praesumptionem recurrendum est, quae ex vniuersalibus, de quibus diximus, philosophiae practicae principiis hausta intelligitur.

§. 21.

Quenam testatorum piorum in dubio voluntas praesumenda sit?

Finem ad quem nati sumus, variasque simul dotes, quibus, huiusce finis consequendi causa, natura nos instruit, contemplantes eo potissimum ducimur, ut quemuis mortalium, donec de contrario constet, bonum honestumque praesumamus. Multo magis itaque unusquisque, quicquid bene et honeste egit, quam optime et perfectissime agere voluisse credendus est. Communis enim mortalium ad meliora et magis perfecta nisi eodem gradu praesumitur, qua, perfici eos et ad meliora euehi posse debereque, natura humana diligentius perquirenda docemur. Quicumque igitur, ut propius ad scopum nostrum redeamus, piis causis aliqua fundatione testator prospexit, vero et sincero pietatis studio compulsus iis prospexisse, specialesque futuri usus determinationes, si quas fundationi adiecerit, ea tantum ratione adiecisse in dubio praesumitur, quia tunc temporis, quomodo pietatis studio, e sui seculi ratione, uberiori satisfacere et piae fundationis finem plenius consequi possit non in promptu habuerit (a). Quam praesumptionem, propter sanctum, ex quo emanauit, fontem, omnes alias licet speciales longe superare, et tristi solummodo (de qua infra) veritati cedere, totus equidem contendo.

a) I. C.

(a) I. C. SIBENKES von Stipendien und den Rechten derselben. (Nürnb. 1786) §. 8.

I. FR. EISENHART de modo seruando in pior. legator. interpretat. p. 36.

FR. MANTICA de coniectur. vltimar. voluntatt. VI. 3. 46.

I. R. ROTH Vertheidigung der rechtl. Staatsbetrachtungen über die Frage: ob die in Fürstl. Hessischem Gebiet gelegenen Güter und Einkünfte etc. in not. * ad §. 40.

§. 22.

Continuatio.

Quare et porro praesumendum est, testatorem, si vltiorem vitae copiam nactus fuisset, et, determinationem a se adiectam, mutatis temporibus, ad summum pietatis finem consequendum, emendatione et commutatione aliqua indigere intellexisset, hanc emendationem ipsum sponte suscepturum fuisse. Qui enim finem voluisse praesumitur, eundem media noluisse quis quaeso logicus praesumeret? Quam autem, prius quam potuerit determinationis suae emendandae necessitatem cognoscere, decesserit, principis est *ex praesumpta eius voluntate agere*, determinationisque adiectae emendationem, quam mutata temporum ratio poscit, suscipere. — Iam si quis forte e me quaesuerit, cur principis hoc potissimum esse et non ad heredem vel quemuis alium pertinere censeam, facilis responsio erit. Omnes scilicet piae caulae, omnia pia corpora, pro singulari, quem prae se ferunt, fauore, sub speciali aliqua summi imperantis tutela sunt, ita vt, quicquid in eorum incrementum iure agere possit, vi publici officii sui, suscipere princeps teneatur. Quod quippe assertum, hodierno inter protestantes iure generaliter receptum, ex Canonici etiam lege, ab episcopalis systematis sectatoribus deduci posse videtur. Quae enim ratio Gregorio IX. suadebat (a), vt supremam
inspe-

inspectionem summumque moderamen in omnia quae piis causis relicta legataque essent, episcopis confirmaret, eadem, si quid sentio, episcopalitas compellit, ut idem ius in principes, catholicorum episcoporum vices, ex eorum opinione, consecutos, translatum censeant. Mihi tamen cui episcopalistarum opiniones non satis hucusque arrisere, ad communem protestantium obseruantiam et consuetudinem, quae particularem principi in causas piis inspectionem et tutelam nusquam denegauit, prouocare sufficiat (b).

a) cap. 17. X. de testament.

b) N^o 1 über das höchste Bischofsrecht evangel. Landesherren, ap. GÜNTHER et HAGEMANN l. c. p. 207.

ANONYMVS über die Verwendung des Kirchenvermögens, ibid. p. 13-14.

SAM. STRYCK l. c. cap. II. §. 7.

§. 23.

Corollaria.

Iam age corollaria nonnulla ante ex dictis depromamus. Princeps itaque fundationes ad p. c., suadentibus temporum vicissitudinibus, emendans e mente praesumpta fundatoris agit (a), et perinde est huiuscemodi quaeuis emendatio, ac si ab ipso illo perpetrata esset. Nullam igitur defunctus iniuriam, nullam vltimarum voluntatum sanctitas fraudem, nullam leges custodiendis vltimis voluntatibus latae violationem patiuntur. Quam enim viuenti testatori, circa dispositiones suas emendandas, haud dubie declarare licuisset, eadem, post eius obitum, iuste praesumpta, et ab eo, ad quem pertinet, obseruata vera semper ipsius testatoris voluntas existimanda erit. Nequaquam igitur opus est, in defendendo iure principum circa piis fundatorum

rum

rum voluntates emendandas, ad despoticam aliquam potestatis plenitudinem pronocare quod a LANCELLOTTO (b), papae ratione habita, factum reperio. Non ex plenitudine potestatis, non ex salute publica suprema sibi lege concessa, sed ex *praesumpta fundatoris voluntate*, cuius executor supremus necessarius existat, pias fundaciones, si opus fuerit, ita emendat et immutat princeps, ut eas fundatores immutasse et emendasse videantur.

a) I. H. BOEHMERI diff. de privileg. piar. caus. genuinis et spuris, in eius exerc. ad F. T. V. p. 242.

b) institut. iur. canonic. II. 23. 1.

§. 24.

Continuantur.

E mente tamen testatoris praesumpta vere acturus summus imperans ea semper ratione procedere debet, ut declaratam vel praesumptam testatoris *intentionem* summa religione custodiat. Quare, quicquid pietatis studio piae causae legatum est, si in alios eosque profanos usus convertere vellet, arbitrarie ageret et iniuste legibusque prorsus contrarie. Plane enim ab intentione fundatoris, quem sola pietatis ratio, solus peculiaris alicuius religionis praecepti adimplendi ardor ad fundacionem istam posteris relinquentem adegit, recedens, non ex eius voluntate sed contra eandem procul dubio ageret. Omnes ergo, quas vocant, secularisationes, omnes piorum corporum in secularia instituta conversiones non video quomodo, in statu reipublicae ordinario, *si fundatorem spectaueris*, defendi iustificarique possint (a). Nisi id forte exemplum exceperis, ubi testator, se ad legandum, non pietatis sed uniuersae utilitatis publicae studio compulsus esse, nudis verbis declarauerit. Tunc

D

enim

enim una praesumptio veritati cederet, altera vero circa testatoris voluntatem, *intuitu publicae utilitatis*, eadem esset, quam alias in voluntatibus piis, ratione piarum causarum sequendam ostendimus. Unica enim, quae, me quidem iudice, nostrae quaestionis respectu, secularisationum iustitiae ratio repugnat, ex ultimae voluntatis declaratae vel iuste praesumptae sanctitate repetenda est: nec iis assentire posse mihi videor, qui summo imperanti ius secularisandi eam ob causam denegandum existimant, quia deo semel dicata commercio exenta sint. Quorum numero venit etiam STRYCKIVS (b); cuius tamen et tot aliorum opinionem hoc loco refellere quum a fine huius opellae alienum sit, ad CONRINGIVM (c) hoc munere egregie functum lectores ablegatos volo. STRYCKII omnino, in tota quaestione nostra perscrutanda, haud magna est apud me auctoritas: dici enim vix potest, quantum, in sua alias doctissima, de iure principis circa mortuorum iudicium, dissertatione, sibi metipso nonnunquam contradicere et ex alia in aliam opinionem delabi videatur (d).

a) STRYCK I. c. cap. IV. §. 5.

I. H. BOEHMER ius prot. eccles. II. 3. 13. 48. et 52.

ANONYMVS ap. GÜNTHER et HAGEMANN I. c. p. 12.

b) l. c.

c) in animaduersif ad bull. Innocent. X. (in ei. opp. T. II.) cap. 8.

d) cf. e. g. cap. II. §. 7. cum cap. IV. §. 5. diff. citat.

§. 25.

Continuantur.

Piam profecto fundatoris intentionem nunquam non ante oculos princeps habeat, et, in aliqua foundationis deter-

terminatione, prout temporum ratio poposcerit, commutanda, eo semper consilio vtatur, vt, quicquid emendaerit vel mutauerit, isti quamplurimum intentioni respondeat (a). Quodsi itaque bona ecclesiae relicta in vsum pauperum, vel pauperibus legata in leniendam captiuorum fortem, vel monasterio donata in *beneficas* scholarum dotationes, saluis tamen limitibus sequenti §. indicandis, conuerterit, *piumque* sic fundatoris finem incolumem intactumque seruauerit, praesumta fundatoris voluntate fultus, *huius intuitu*, nec peccauisse nec vllam iniuriam commisisse videbitur.

a) I. H. BOEHMER I. c.

FR. MANTICA I. c. VI. 3. 39.

§. 26.

Continuantur.

Sed ad omnem iniustitiae, ratione fundatoris habita, suspicionem procul auertendam, de eo quoque principi cauendum erit, ne quid vel omnino sine causa, vel magis quam causa data requirere videtur, circa pias defunctorum dispositiones, emendandum sibi arroget. Quemadmodum enim testator ipse, si adhuc viueret, non sine causa a dispositione sua recessurus fuisse recte putatur, ita etiam, qui, se ex praesumta eius voluntate agere, profitetur, emendationi qualicumque absque tali causa haud accingatur, quae et ipsi defuncto, vt dispositionem suam immutaret, suafura fuisse intelligitur. Omne itaque nudum summi imperantis arbitrium procul absit; et, quicquid agit, non tam e sua quam e defuncti persona agens, non, quid ipse sentiat, sed, quid defunctus superstes sensurus fuisset, princeps exploret.

D 2

Cau-

Causae autem emendationem suadentes variae cogitari possunt. Inter eas tamen piae causae, cui legatum aliquod relictum est, extinctio, et pii testatoris finis vberius consequendi ratio praecipuum locum occupare videntur (a). Fac igitur Xenodochium quoddam, cui legatum testator reliquerit, extinctum esse vel sublatum: nonne praesumendum est, testatorem, si viueret, in aliam aequae piam causam conuersurum esse, quod illi destinauerat? *Pium* enim ante oculos finem habuit, quem sibi, eo quo primum voluit modo, impleri amplius non posse intellexisset, alia haud dubie via prosequutus fuisset. Recte itaque a multis imperantibus factum est, vt Iesuitarum ordine sublato, eius bona, quamuis huic specialiter ordini a fundatoribus relicta, in alios tamen pios vsus conuerterint (b). *Causa* enim adfuit conuersionis, quam fundatores in dubio ipsi, si potuissent eorum sententia explorari, agniti probaturique fuissent.

a) SIBENKES I. c. §. 134.

RECHENBERG I. c. Sect. III. §. 12.

b) I. FR. BOEHMER von Jesuitengütern etc. §. 10. et 14.

§. 27.

Continuantur et exemplis illustrantur.

Similiter circa maioris pietatis rationem res se habet. Quid enim v. c. si ante CCC annos testator ita scripserit? "do lego mille imperiales, quorum reditus duobus, per singulos annos, egentibus pueris soluantur; ea tamen determinatione adiecta, vt et ipsi dimidiam semper diei partem cantibus sacris precibusque consumere teneantur." Hic scilicet testator mille imperiales pio vsui destinauit; legati autem

autem pietatem auctum iri putauit, legatarios ad dimidiam diei partem precibus cantibusque terendam adstringendo; et recte quidem putauit e sui seculi genio. Quum tamen temporum ratio ita variauerit, vt iam non preces cantusue, sed bona solummodo opera ad veram pietatem et iustum supremi numinis cultum pertinere censeamus; quumque testator ille, si nunc viueret, non e decimi quinti sed e nostri seculi genio sensurus esse praesumendus sit, quid quaeso impedit quo minus princeps, e praesumpta testatoris voluntate, pueris legatum percipientibus preces cantusque diurnos remittat, et ita potius eos tempore vti iubeat, ut, ad qualemcunque aliquando reipublicae vsum praestandum, puerilia ingenia effingant.

§. 28.

Continuatio.

Quid? vt alio eiusdem fere generis exemplo vtar — si certo cuidam orphanotropheo testator legauerit? Iam, postquam experientia nostrates docuit, orphanotropheorum publicorum instituta ad corrupendos magis quam ad bene formandos orphanorum mores conferre, tollitur orphanotropheum cui legatum est, et villicis alendi hic illic orphani traduntur: nihilominus tamen ex praesumpta testatoris voluntate aget summus imperans, si, quod orphanis in vna aede iunctim nutriendis relictum est, alendis iisdem inter villicos dislocatis impenderit. Causa enim adest maioris pietatis ratio, quae orphanorum saluti quam maxime prospici iubet. Quam testatorem viuentem reprobaturum esse quis quaeso praesumeret? Quantum enim sibimetipsi repugnaret, si finem suum non quam plurimum fieri possit adimpleri cuperet?

Quando praesumptio nostra veritati cedere videatur, quando non?

Quid autem, si testator, se dispositionem suam, quicumque acciderit, et qualiscunque temporum mutatio euenit, commutari emendariue nolle disertis verbis declarauerit? Nonne tum denique omnis praesumptio veritati cedere omnisque summi imperantis, circa huiusmodi dispositiones emendandas, facultas excludi videbitur? Distinguendum tamen:

testator *vel* determinationem fundationi adiectam omnino seruari iussit, eo addito modo, vt, si quid vnquam circa eandem commutatum fuerit, ad heredem vel alium tertium legata reuerti velit:

vel nude tantum suae voluntatis, vtunque euenierit, strictissimam obseruationem praefcripsit.

Illic quid statuendum sit, infra (disquisit. II.) demonstrandi locus erit. *Hic* vero, vbi quamuis voluntatis suae commutationem, expressa generalique lege, testator prohibuit, ne vlli quidem praesumptioni locus relinqui videtur. At vero quum nemo sibi metipsum legem dicere possit, a qua non eidem postea recedere liceat; quum, nisi forte ineptos et ratione carentes praesumere homines malis, semper praesumendum sit futurum fuisse, vt testator, si istas dispositionis suae emendationem poscentes temporum vicissitudines vita attigisset, ipse a priori sua licet diserte declarata voluntate recessisset, cur et hic principem determinatas defunctorum dispositiones emendantem, *eorum intuitu*, iniustitiam committere putes, non equidem intelligo. Nam cui, quaeso, mortalium ea facultas concessa est, vt *omnes* futurorum temporum euentus praevidere possit? Quonam igitur

tur quisquis vltimae voluntatis conditor iure contendet, nullum unquam euentum contingere posse, qui, ad determinatae voluntatis suae emendationem suscipiendam, ipsum compulsurus fit?

§. 30.

Continuatio.

Aliter tamen res se habet, vbi certum aliquem determinatumque euentum ante oculos testator habuit, in quem, si forte acciderit, dispositionem suam non extendendam esse, diserte praescripsit. Fac v. c. aliquem Iesuitis legatum reliquisse, ea adiecta clausula, vt, si vnquam Iesuitarum ordinem dissolui et ex ecclesia profligari papae placuerit, legatum suum in alia non conuerti, sed singulis fratribus distribui velit. Tunc sane praesumptio veritati cederet, et in summa principem, *et intuitu testatoris*, iniuria versatum existimarem, qui huiuscemodi aliqua Iesuitarum bona, expulsis ipsis, sibi vindicare, vel ad alios licet aequae pios vsus transferre voluisset. Certum enim et determinatum casum sibi fingere, et in eum, si existerit, disponere testator potuit, licet omnes futuras, quae fieri possunt temporum conuersiones iam antea recensere, iisque voluntatem suam generaliter accommodare non potuerit. — Execrationes autem et imprecationes, a nonnullis testatoribus, ad firmandam voluntatem suam atque stabiliendam, testamento adscriptas (a) nullam ad sententiam nostram subuertendam vim habere satis perspicuum est. Quid enim impedit, quo minus eum, quem, a sua quamuis determinata voluntate recessurum fuisse praesumimus, illa ipsa etiam reuocaturum fuisse praesumamus, quae non nisi stabiliendae et corroborandae eidem voluntati addiderit?

a) Re-

a) RECHENBERG l. c. S. III. § 12.

THOMASIUS l. c. §. 14.

§. 31.

Dissentientes refutantur.

Postquam sic meam qualemunque, de quaestione nostra, opinionem in medium proferens, demonstrare conatus sum, principem determinationes piis voluntatibus adiectas, seruata pia fundatoris intentione et ex causa sufficiente, commutantem nullam in regula, fundatoris intuitu, iniuriam committere, iam in dissentientium argumentis examinandis et, si potero, refutandis, aliquantulum mihi commorari liceat. Quorum tamen cum haud exiguus numerus extet, eos tantum sigillatim producere in animo est, qui, quamuis haud raro aduersariorum non nisi speciem prae se ferentes, silentio tamen praeteriti, plurimum de opinionis nostrae validitate detrahere videri possent.

§. 32.

Schlettwein.

Acerrimum absque dubio aduersarium habeo Ill. SCHLETTWEIN, qui, libro saepius a me laudato (a), imperantium ius piarum defunctorum dispositiones emendandi infestis constanter armis oppugnat. Sed ipsum audiamus (b): „es kommt einzig und allein auf die besondere Absicht an, die den wahren Grund der Stiftung darstellt. Was be-
„kümmert sich ein Stifter oder Erwerber um den letzten
„Hauptzweck, auf welchen alle Stiftungen oder Erwer-
„bungen abzielen können? Er intendirte seinen eignen be-
„sondern Zweck, und, wenn er den nicht erreichen konn-
„te, war's ihm auch nicht um den letzten allgemeinen
„Zweck

„Zweck zu thun.“ Omnia, quibus modo allegatae viri illustris assertiones laborare videntur, vitia inde procul dubio emanant, quod inter declaratam et praesumptam fundatoris voluntatem non satis distinxerit. Nullus equidem dubito quin saepissime accidere possit, ut peculiarem aliquem et proprium pii fundatores finem intendant, eumque consequi non valentes supremum etiam pietatis finem omittant; de quo si conspicerit, quid iuris esse videatur, supra (§. 29-30). exposui. Quis vero, ubi de generaliter praesumpta voluntate agitur, generalem aliquam hinc deducere praesumptionem ausus fuerit? Supremum pietatis finem homines omnino non curare et agnoscere, sed, suis vnumquemque inepitibus libidinibusque ad benefaciendum inductos, sibi metipsis tantummodo piis foundationibus constituendis consulere, quis, quaeso, humani generis humanaeque virtutis fautor asseruerit? — Alio loco (c) pergit: „was unsere Voreltern nach ihren besondern Ideen vom Guten und Edlen thaten, das darf die Nachwelt, die solche Ideen für Irrthümer hält, nicht nach ihrem Sinn, nach ihrer Willkür *zwangsweise* abändern, so lange die Werke der Vorwelt nicht offenbar gemeinschädlich sind. Die heutigen Ideen können und dürfen nicht, nach der Gerechtigkeit, zum Maasstabe der Einrichtungen unserer Vorfahren angenommen werden.“ — Recte quidem! in commutandis dispositionibus maiorum nostrorum hodierno tempore incongruis, nemini vis iniusta inferri debet; nemini iura quaesita violanda vel auferenda sunt. (§. 38 sqq.) A quo si cauetur omnis vis abest et coactio; nisi forte testatori ipsi vim inferre dicamus, qui ex iuste praesumpta eiusdem voluntate egerit. Cur autem dispositiones maiorum, e nostri seculi genio, considerationi ideoque commutari nequeant, nullus intelligo. Senti-

E

endi

endi enim quaeuis ratio perit; facta superfunt, quibus illa sentiendi ratio mater fuit et generatrix. Nos e nostri omnino seculi ratione cogitamus; cur, quaeſo, in factis maiorum computandis, quod ipsi maiores superfites non facturi fuissent, aliquam antiquitus vſitatam cogitandi rationem nostram iterum faceremus. — Alio denique loco (d): „daß „der Stifter selbst den allgemeinen Willen und Endzweck „habe, daß die oberſte Kirchen- und Staatsgewalt, unter dem „Vorwande eines nicht evident anerkannten gemeinen Be- „ſten, ſeine Stiftung umändern könne, iſt ſchlechterdings „falſch.“ — Qua de re eatenus quidem cum viro illuſtri confentio, vt, quod iam ſupra (§. 15.) profeſſus ſum, vagram ſalutis publicae praetextum, ab omni piarum fundationum emendandarum ratione, procul arcendam eſſe cenſeam. De eo autem, vtrum *principi* fundator ius emendandi concedere voluerit necne, non eſt quod diſputem. Sufficit enim voluntatem teſtatoris, circa diſpoſitiones ſuas emendandas, certis quibusdam cauſis ſubſtratis praefumendam eſſe, emendationemque ideo ipſam ex praefunta eiudem voluntate fieri. *Principis* potestas vero, iuſtam hanc emendationem in ſe recipiendi, non ex voluntate teſtatoris, ſed ex longe alio quodam iam ſupra (§. 22.) demonſtrato fundamento repetenda eſt.

a) Die Gerechtigkeit in Abſicht auf die Klöſter und deren ion- und ausländiſche Geſälle, Gießen 1789.

b) l. c. p. 192 ſgg.

c) l. c. p. 24.

d) l. c. p. 48.

§. 33.

Sibenkees.

Quae ab Ill. SIBENKEES (a) prolata sententiae meae forsitan aliquid derogare putari possent, nihil re vera contra me operantur. Vtiliter enim accipio, quod de stipendiorum collatoribus contendit, solam iis fundatoris voluntatem legem sequendam esse. Quam tamen voluntatem vel declaratam esse vel praesumptam spero fore ut mihi largiatur. Quo concessio, omnia, quae ex ista sua propositione deduxit, corollaria nil obstat quominus in meum etiam fauorem interpreter.

a) l. c. §. 41.

§. 34.

o Feral.

“Executoris esse voluntatem exequi et perficere, nequaquam vero eam corrigere, aut, ubi taceat testatoris voluntas, arbitrato suo supplere,” contra sententiam nostram *Franciscus o Feral* asserere videtur (a). Quod ei tamen facile concedere possum. Princeps testamentorum ad p. c. executor supremus necessarius, testatoris vel declaratae vel praesumptae voluntatem, in piis eius dispositionibus ex iusta causa emendandis, sequitur; nequaquam eam corrigit; multo minus arbitrato suo supplet. Illa enim ipsa, quam cuiuscunque emendationi circa pias fundationes a principe suscipiendae supremam legem praescripsimus, praesumpta fundatoris voluntas omnem imperantis arbitratum omni meri lubitus exercitium excludit.

a) in diff. de testam. ad p. c. ob voluntatem imperf. nullo. (Lipf. 1735.)
§. 18.

E 2

§. 35.

§. 35.

Stryckius.

Eadem fere STRYCKIO (a) opponi possent, nisi hunc, propter miram, qua hanc circa materiam laborat de qua iam supra (§. 24.) dixi, inconstantiam, refellere plane superfluum videretur. Quid enim opus est mea contra eum argumenta proferre, quem propriis ipsius dictis refutare possum? Vnum modo paucis tangere liceat: „in voluntatibus „priuatorum circa res suas hoc solum attendendum esse, „ait, ne quid iniqui vel a lege reprobati contineant, non „autem quid melius disponere testator potuisset; hoc enim „fore cogere non sequi hominum dispositiones.” — Minime quidem! Non circa ea scilicet, quae suo tempore melius disponere testator potuisset nec tamen disposuit, sed circa ea, quae e sui temporis genio melius disponere quidem non potuit, si autem potuisset, dispositurus fuisse praesumitur, lis nostra versatur. Num vero hoc est cogere hominum dispositiones, si eos, quod e rationabilis naturae notione fluit, meliorem intelligentiam nactos, et hanc ipsam eandem factis suis secuturos fuisse praesumimus?

a) l. c. cap. II. §. 3. et 6.

§. 36.

Thomasius.

Non solum illos tamen aduersarios meos existimo, qui *minorem* principi, circa vltimas voluntates pias licentiam largiuntur, sed illos etiam, qui eandem, iusto latius vagari permittunt. Miro imprimis modo THOMASIVS (a), potestatem secularisandi e iuris naturalis principiis defendens ratiocinari videtur. Quippe qui *primum* testamentificationem non

non esse iuris naturalis, *deinde* vero, etiam si hoc concesserit, nullam inde neque heredum legatariorumque neque reipublicae, ad seruandam testatoris voluntatem, obligationem sequi contendit. Quum autem testamentifactio actiua nihil aliud sit quam ius de bonis suis, in euentum mortis, cum effectu disponendi, non satis intelligo quomodo fieri possit, vt testamentifactionem ius naturae largiatur, idemque nullam tamen, vltimae voluntatis perficiendae, tam heredi quam reipublicae obligationem imponat. Hoc enim quid esset aliud quam dispositiones quidem de bonis suis hominibus liberas concedere, earundem effectum autem prorsus tollere et in nihilum redigere? Ceterum in eo quidem, quod *non* iuris naturalis sit testamentifactio, prorsus cum auctore consentio.

a) l. c. §. 13.

§. 37.

Rechenbergius.

Et RECHENBERGIUS, in commentatione saepius laudata (a), quaestionem, num in formam feudalium seu patrimonialium bona pia redigere principi liceat, affirmare non dubitat, adiectis tamen nonnullis limitationibus, quarum praecipuae huc redeunt. Nimirum tum demum hoc iustum esse contendit;

- 1) "*si necessitas et salus publica id suadeat.*" De necessitate quidem, modo vera sit et vrgens, lubenter concedimus: de salute publica autem quid sentiamus, supra (§. 15.) exposuimus.
- 2) "*si salaria docentibus et stipendia discentibus iam sint sufficienter constituta.*" Quae tamen limitatio adeo procul

E 3

dubio

dubio specialis atque angusta est, ut generalis aliqua propositio inde promanare non posse videatur. Quid enim? discipulorum docentiumque stipendiis et salariis quam largissime constitutis, nonne tot aliae piae causae superfunt, in quas, quod illis addere superfluum foret, princeps conuertens, minus saltem a declarata vel praesumpta fundatoris voluntate recessisse videbitur?

- 3) "*si numerus bonorum et clericorum increuerit, et clerici reipublicae graues sint magis quam utiles, sana autem ratio suadeat inutilia terrae pondera imminuere.*" Haec limitatio primum eodem argumento infringitur, quod contra antecedentem protulimus, deinde ita comparata est, ut statum controuersiae prorsus immutet et euertat. Competit enim summo imperanti haud dubie ius superfluos et noxios clericorum ordines tollendi (§. 16.), quo tamen facto, bona sublatis ordinibus in alios quidem, sed, si ad praesumptam fundatoris voluntatem respexeris, non nisi aequae pios usus conuerti posse demonstrauius. Quod et idem aduersus limitationem.
- 4) "*si a pristino religionis vigore clerus recesserit,*" pari iure monendum erit (b).

a) diff. de eo quod in piis causis impium est, S. III. §. 13.

b) In recensendis scriptoribus, quorum, circa materiam nostram, opera versata est, GRIEBNERVM *de legatis ad p. c. in alios usus non conuertendis* (Lipf. 1721.), nec non TAFINGERVM *de mutatione pitarum causarum* (Tubing. 1763.), si forte lectores desiderauerint, ignoscat rogo; horum enim libellorum inspiciendorum, licet multam iis comparandis operam adhibuerim, nulla mihi copia data est.

DIS-

DISQVISITIO II.

Quatenus principi speciales determinationes legis ad p. c. adiectas emendare liceat, intuitu tertii?

§. 38.

Iura nascuntur ex iuribus.

Multiplex est iurium textura adeoque sibi cohaerens, vt fieri non possit, quin ex vnius moralis agendi facultatis exercitio alia semper eaque diuersa iura nascantur. Sic varias etiam testamentifactionis actiuae exercitium aliis praeter testatorem iuris species parit: quo ius heredum circa adeundam vel repudiandam hereditatem, ius legatariorum exigendi ea quae ex testamento sibi debentur, ius executorum circa perficiendam vltimam voluntatem praecipue pertinent. Adfunt itaque quibus iura quaesita e testamentis nascantur: adfunt haud raro quorum adeo interfit testatoris voluntatem seruari et perfici, vt vel minima alicuius determinationis adiectae computatio in eorum fraudem vergere videatur. Quos aequae ac testatorem ipsum in diiudicanda quaestione nostra respicere, et, quatenus, sua iura quaesita obmouendo, principis circa vltimas voluntates pias emendandas potestatem limitare possint, disquirere quum quaeuis iustitiae sana ratio iubeat, ad hanc iam age dissertationis nostrae partem oculos deflectamus.

§. 39.

Iura quaesita non auferenda per principem.

Inter omnes rationes, quae, vt, statu naturali relicto, illimitatae libertatis dulcedinem necessariis formatae ciuitatis vinculis commutarent, hominibus suafisse videntur, secu-

securitatis ratio principem procul dubio locum tenet. Quare nihil imperantibus supremum imperii sibi concessi finem consecuturis magis cordi esse debet, quam ut unumquemque civium ab omni violatione saluum, ab omni, eius quod suum est, iniusta comminatione vel detractatione securum praestare annitentur (a). Sin secus, summa civitatum condendarum ratio evanescit, nec video quid impediatur, quominus ad statum naturalem historicum homines redemptes, fortiorisque robor supremam rursus legem agnoscentes, unionis civicae, cuius ipsis commoda denegantur, et incommoda ferre recusent. Bene quaesita singulorum iura sancta sint, et, in statu ordinario, nullas propter utilitatis tam publicae quam privatae illecebras, violata (b). Si quam vero, in statu extraordinario, violationem urgens aliqua necessitas iusserit, singulis refarciatur quod pro omnibus damnum susceperit (§. 15-16.)

a) III. PÜTTER Beyträge zum deutsch. St. und Fürstl. Recht Nr. XX.

b) SCHLETTWEIN l. c. §. 11.

STRYCK de salut. publ. cap. II. §. 39-40.

§. 40.

Quibusnam iura quaesita ex ultimis voluntatibus competere possunt?

Quicquid agat princeps ita semper procedat, ut, nemini subditorum ius quaesitum auferens, iniustitiae in se admittit a nemine argui possit. Determinationes itaque foundationibus ad p. c. adiectas emendaturus ubique circumspectus, et, si quem inuenerit iura quaesita emendationi instituendae opponentem, totus ab illa lubensque absteineat (a). Omnis enim tunc testatoris voluntatis praesumptio cessat prorsus et evanescit, aut omni saltem vi destituitur. Sanctiora enim sunt

sunt quaesita civium iura, quam quae nuda aliqua vel declarata vel praesumta alterius voluntate everti possint debeantque. Duo tamen personarum, quibus iura ex testamentis nata per eiusmodi emendationem auferri nequeunt, genera exstant: quorum quippe *prius*

eas amplectitur, quibus specialiter aliqua fundatione prouisum est:

posterius

illas, quarum alio quouis modo interest, voluntatem defuncti immotam seruari.

Posteriori genere, a quo exordium capere institui, continentur

- 1) executores vltimae voluntatis proximi, quibus hoc munus speciatim a defuncto commissum est:
- 2) heredes, si de *legato* ad piam causam determinatam relicto quaeritur. His autem ius prohibendi emendationem a principe instituendam competere videri potest
 - a) *vel*, quia, redivibus annuis piae causae legatis, eorum est, annuam solutionem praestare;
 - b) *vel*, quia testator iis concessit, legatum, si quid vnquam circa determinatum eius vsum commutaretur, ad hereditatem retrahere.

De quibus singulis iam sigillatim videre in animo est.

a) STRYCK de iure princip. circa mortuor. iudic. cap. II. §. 8.

Quod *primum* ad executores vltimarum voluntatum piarum attinet, ne in aliquam forte contradictionis speciem incurrere videar, cauendum erit. Quum enim supra (§. 22. et 35.) principem testamentorum ad pias causas executorem necessarium contenderim, nunc vero, de executorum suribus emendatione principis non auferendis, sermonem instituum, nihilmetipsi forsitan repugnasse a nonnullis censeferi possem. At distinguendum est sine dubio inter *supremum* testamenti executorem et *proximum*: illius partes legitime ad principem pertinent; hunc vero pro lubitu testator constituere potest. Quem admodum enim pater familias impuberi relicto filio recte quidem testamento tutorem dare, nec tamen supremam reipublicae tutelam et in tutorem testamentarium inspectionem, dispositione sua excludere valet; sic etiam, in executoribus vltimarum voluntatum ad p. c. denominandis, liberum testatori arbitrium competit (a), eo tamen seruato modo, vt supremae pia testamenta exequendi potestati, quae penes principem est, nunquam non denominati executores sint subiecti. Potest itaque cuius tertio id muneris testator demandare, vt vltimam voluntatem rite sequendam custodiat: quatenus tamen ad causam piam vltima illa voluntas spectat, principis est supremam peculiaremque in omnia executoris qua talis facta inspectionem exercere.

a) cap. 3. X. de testament.

STRYCK de caut. test. c. XII. §. 11.

§. 42. *an et quatenus iuri principis, de quo agitur, derogare possint? o sit*

Sicuti tutores rem pupilli gerunt personamque custodiunt, reipublicae autem eo tantum cura redit, ut bene res geratur pupillique persona custodiatur, ita executores etiam ultimarum voluntatum ad p. c. a testatoribus constituti voluntatem defuncti perficiunt, principisque est videre, ut recte perficiatur voluntas. Quodsi autem de ipsa hac voluntate lis oriatur executorem inter supremum et proximum, et aliquam princeps forte, ex praesumpta testatoris voluntate, emendationem molitur, quam eidem repugnare executor proximus censeat; uterque audiendus, utriusque pro sua cuiusque opinione argumenta in medium proferenda expertorumque iudicum arbitrio diiudicanda erunt. Qui si contra principem sententiam tulerint, emendatio cesset; sin secus, suscipiat eandem summus imperans, nec, praesumptam testatoris voluntatem perficiens, iura quaesita executoribus auferre extimescat. Nulla enim executori proximo, nisi summae supremi executoris inspectioni subordinata, iura competunt. — Nunquam tamen in propria causa iudex princeps esto; sed huiusmodi litem semper consiliariis ministrisque suis, absque ullo favore et partium studio, decidendam permittat.

§. 43.

Eadem quaestio proponitur ratione heredum.

Heredes quibus annuas piae causae praestationes legatas per singulos annos soluere incumbit, si quam forte emendationem, circa praestationum illarum usum, a principe susceptam ex hoc impugnare capite voluerint, excep-

F 2

ptione

ptione tua non *interest* facile repellendi erunt. Sola enim iis obligatio incumbit legatam quantitatem praestandi, nec vllum inde administrationi praestitae quantitatis se immiscendi ius nascitur. Quumque, mutato legati vsu, plus quam antea soluerint, praestare non cogantur, nullum neque ex facta emendatione damnum pati, neque ex omiſſa lucrum percipere poterunt. Nec intelligo quo iure huiusmodi emendationem impedituri sint, quae facta aequae ac omiſſa iis praeiudicare et prodesse nequit.

§. 44.

Continuatur.

Sed aliter etiam res se habere potest. Fingamus testatorem ita scripsisse: do lego mille nummos aureos, et ex fortis eius vsuris annum pauperi studioso poeseos Batauae stipendium solui iubeo: quam tamen circa voluntatem meam si quid vnquam commutatum fuerit, ad heredes legatum redire volo. Tunc sane ineptam testatoris dispositionem si princeps emendare, et, quod poeseos Batauae cultori destinatum erat, studioso iuris conferre mallet, quaesita heredum iura violaturus, *horum intuitu*, iniustitiam committeret (a). Sicubi enim emendatio fieret, ius retrahendi legatum, ex vltima voluntate quaesitum, heredibus nasceretur. Quod iis eripere quum princeps non possit, ab emendatione abſtineat necesse est. Idem obtinebit, si non ad heredem sed ad tertium quemuis, in euentum susceptae emendationis, reuerti legatum testator iusserit. Facta enim commutatione legatum statim piae causae esse desineret eiusque patrimonio accresceret, quem piae causae, huncce in casum, testator substituit. Quare inutilis foret commutatio,

tatio, et, quia totum piae causae legatum eriperet, noxia magis ipsi quam proficua.

- a) Dissentint tamen STRYCK l. c. cap. II. §. 9. et RECHENBERG l. c. S. III. §. 12. Qui etiam hoc casu, maioris pietatis gratia, a principe dispensari posse arbitrantur. Quatenam vero, quaeso, illa foret quaestorum iurium tertii violationem sua iura pietas? Quis unquam astringit principem in fraudem iuris quaesiti singulorum dispensare posse?

§. 45.

Quicquid relinquitur, in fauorem quarundam personarum relicum est.

Plurimum tamen ad eos, quibus pia fundatione immediate testator prospexit, respiciendum, et, quatenus eorum iura quaesita cum potestate principis emendatoria concurrant, considerandum est. Quam equidem quaestionem perferutaturus generaliter statuo: quicquid a testatoribus, singulari vel vniuersali titulo, relinquatur, id semper in quarundam *personarum* fauorem relinqui. *Res* neque heredes institui neque legatum acquirere potest. Quod iam Romani intelligentes sanxere, seruum a domino institutum, per ipsam hanc institutionem, libertate tacite donari (a), ab extraneo autem heredem vel legatarium scriptum non sibi sed domino hereditatem legatumue acquirere (b). Licet itaque verba, quibus vltima voluntas exprimitur, nonnunquam ita se habeant, vt *rei* cuidam testator prospexisse videatur, semper tamen personae aderunt sub rei tanquam pallio latentes et eam ex testatoris voluntate, quam *res* proprie percipere nequit, vtilitatem percipientes. Quicquid, v. c. christiano templo reficiendo legatur, societati parochiali ad hoc templum pertinenti legatum intelligitur; huius enim fuisset templum proprio sumtu reficere, nisi testatoris ei liberalitas subuenisset. Quicquid orphanotropheo

seu Xenodochio relinquitur, orphanis in orphanotropheo seu aegrotis in Xenodochio receptis, in quorum quippe utilitatem impenditur, relicum est. Quicquid monumento struendo vel aggeribus reficiendis vltima voluntate destinatur, iis, quorum interest monumentum strui vel aggeres refici, cessisse videtur.

a) §. 1. I. de hered. instituend.

b) §. 3. I. per quas cuique person. acquirit.

§. 46.

Personae illae vel certae sunt vel incertae.

Personae, in quarum quid fauorem relinquitur, ratione determinationis, vel certae sunt vel incertae. Duplex tamen personae certitudo et incertitudo occurrit, subiectiua nempe et obiectiua. Ad illam modo respexisse videtur IUSTINIANVS, in exaranda definitione, quam de personis incertis proposuit (a), eas scilicet hoc nomine complectens, *quas incerta opinione animo suo testator subiecerit*. Vnde etiam factum est vt singula collegiorum piorumque corporum membra, quia indies mutantur et certa de iis opinio animo testatoris subiecta esse nequeat, incertis personis adscripserit (b). Nos contra, de iure quaesito eorum quibus a testatore prospectum est disputaturi, in obiectiua potius personarum certitudine vel incertitudine contemplanda commorabimur. Personae autem, ratione dispositionis defuncti, obiectiue *certae* eae sunt, ad quarum indiuidua eandem pertinere perspicuum est; ad quarum indiuidua pertinere probari nequit, licet satis clare ad earum genus pertineat, *incertae* vocantur. Quam quippe definitionem exemplis infra illustrabimus.

a)

a) §. 25. I. de legat.

b) L. 24. D. de episcop. et cleric. Tit. C. de incert. person.

§. 47.

Eorum quae personis tertis pie relinquuntur exempla.

Multifariae eorum, quae per ultimas voluntates piis certis personis relinquuntur, species existunt. Non solum huc referuntur fideicommissa familiaria piis usibus destinata, sed etiam quaeque certo cuidam pio corpori, ecclesiae, orphanotropheo, aerario viduali, nosocomio et infinitis aliis relicta sunt. Quodlibet enim familiae, in qua fideicommissum exstat, membrum lucra ex eodem percipienda suo ordine manent; ultimique fundatoris pronepotes, etiamsi de iis in specie cogitare nondum potuerit, tamen se eos esse ad quos dispositionem suam extendi fundator voluerit, iure prae se ferunt. Pari modo homines societatem ecclesiasticam constituentes, quicquid eorum ecclesiae legatum est, sibi relictum vindicant, licet *incertam* et forsitan nullam de iis singulis *opinionem* testator animo conceperit. Sic denique orphani in orphanotrophico, aegroti in nosocomio, monachi in monasterio, quovis tempore, degentes, testatoris, qui orphanotropheo nosocomio vel monasterio fundatione prospexit, dispositionem in suum fauorem conditam ad se, quamvis subiectivae ratione testatoris incertos, pertinere recte contendunt (a).

a) cf. PAVLLVS in L. 20. D. de reb. dub.

§. 48.

Personis certis iura quaesita competunt ex ultima voluntate; quae iis non auferenda.

Foundationes pias certarum personarum in utilitatem perpetratas et ab iis acquisite quaesita iisdem iura parere perspicuum est. Quae, in huiusmodi foundationibus emendandis, ne singulis vel omnibus auferantur, cauendum erit. Iniustum itaque foret, certae ecclesiae relicta in alterius licet egentioris usum conuertere, certo orphanotropheo destinata in Xenodochio aedificando consumere, stipendia fideicommissis familiaribus constituta ad extraneos transferre. Illae solummodo mutationes iustitiae probantur, quibus nullius singuli iuribus derogatum erit. Quare principem fideicommissum familiae ad determinatum pium usum relictum in alios aequae pios et eidem familiae profuturos usus ex causa conuertentem iure agere non iniuria, ceteris paribus, contenderim. Nec minus eorum, de quorum iure quaeritur, consensus in mutationem instituendam legitime declaratus ab omni imperantem iniustitia liberat. Scimus enim quemlibet, in regula, posse iuri suo renunciare. Legitima tamen et valida consensus declaratio requiritur. Quodsi v. c. orphanos in orphanotropheo degentes conuocare, eorumque, legatorum huic instituto relictorum ad aliud transferendorum consensus minis blanditiisue extorquere, deinde hoc consensu factus translationem instituere vellet, iniuste ageret et arbitrarie. Impuberes enim et alienae gratiae relictus pueri consensum nec legitime declarare nec absque periculo denegare possunt.

§. 49.

Exemplum.

Quae hucusque dicta sunt, exemplo in medium prolato, quam luculentissime illustrare posse mihi videor. In vno eodemque loco fac gymnasium extare et ecclesiam piis variorum testatorum voluntatibus egregie dotatam. Gymnasii rectores praeceptoresque sumtibus publicis alendi a principe salaria accipiunt. Quid tibi videretur si princeps, praeclarum filico compendium meditans, ecclesiam illam adeo diuitem iactaret, vt fortis vsuras vñi consumere nequeat, primoque superfluum ei auferens annua inde praeceptoribus salaria solueret; *deinceps* vero latius paulatim vagatus ipsamque sortem aggressus omnes ecclesiae opes adeo dispenderet, vt metuendum sit, ne breui tempore ad nihilum prorsus redeat? Iniuste ageret profecto et omni legi contrarie. Non solum enim qualemcunque testatorum, ecclesiae qui prospexere, voluntatem, bona ab iis pie relicta in secularem vsum (§. 12.) sui que filici compendium transferendo, pedibus tereret, sed etiam societati ecclesiam constituenti, quae eidem in rem suam et sibi relictam competunt, quaesita iura auferret. Quid enim si tota ecclesiae dos hoc modo exhausta fuerit? Tunc sane, omni, ad sumtus diuini cultus faciendos, pecunia deficiente, claudenda erit sancta domus et vendenda seu ruinis temporum relinquenda; et, quae societas parochialis locum habuit supremi numinis cultui destinatum, nullum eadem amplius habebit. In quem vero singulum, in quam vniuersitatem ea, quaeso, obligatio cadere potest, vt, quod suum est, principi rei suae compendium meditati diripiendum permittat?

G

§. 50.

Eorum quae personis incertis pie relinquuntur exempla.

Personas obiectivae *incertae* mihi vocari asserui, quae, ad se suamque specialiter conditionem defuncti dispositionem spectare probare nequeant. *Incertis* itaque personis pie legatum intelligitur, quicquid nec determinatis hominibus, nec determinatae familiae ad pios usus, nec determinato pio corpori relictum est. Fac testatorem decem millia imperialium pauperibus militum emeritorum liberis alendis reliquisse, quorum tamen tot existant, ut singuli beneficio testatoris gaudere non possint: tunc testator hanc summam *incertis* personis reliquisse putandus est. Nullus enim in civitate erit emeriti militis filius, qui sibi prae ceteris defuncti dispositionem adaptare, et sibi in specie beneficium deberi iure contendere queat. — Fac alium ita scripsisse: quod ex villa, quam relinquo, redibit annuum locarium duodecim quotannis pauperibus vestiendis impendatur; *incertis* haud dubie personis scripserit, electioque eorum, quibus beneficium conferre velint, libera ad ultimae voluntatis executores pertinebit. — Quid autem si pauperi iuris studioso annuum testator stipendium legauerit? Tunc genus personarum quidem certum erit, persona ipsa incerta, quia nulli singulo iuris studioso ius perfectum competet stipendium illud sibi exigendi. — Quid denique si quis egentibus studiosis stipendia reliquerit, ea determinatione adiecta, ut in certa determinataque semper academia consumenda sint? erunt et ipsa *incertis* personis legata. Academia autem, de qua agitur, ut nemini, nisi qui suo in gremio studiis indulgeat, conferantur, recte postulabit.

§. 51.

Principia iuris Romani de his quae personis incertis relinquuntur.

Legatum personae incertae relictum, ex iure Romano antiquo, pro non scripto habebatur (a). Absurdum enim videbatur legislatoribus et naturae humanae non consentaneum, homini profus incognito nulloque ideo affectionis dilectionisue studio prosequendo emolumenta hereditaria relinquere. IUSTINIANVS tamen intellexit, fieri posse etiam vt, non peculiari determinatae personae fauore, sed generali potius aliquo pietatis vel utilitatis publicae vel quouis alio studio commotus testator incertis personis, non ipsarum intuitu, sed ratione causae ad quam referuntur, legare vellet. Quare, iure antiquo sublato, non solum legata et fideicommissa sed etiam hereditates personis incertis recte deferri sanxit (b). Licet non desint, qui hanc imperatoris constitutionem ad ea solummodo, quae piis causis collegiisue licitis relinquuntur, erroneo tamen, ni fallor, arbitrio trahere velint (c).

- a) L. 27. D. de reb. dub.
L. G. MADIHN princip. iur. Roman. P. IV. §. 204.
- b) Tit. C. de incert. person. §. 25. et 27. l. de legat.
MADIHN l. c.
- c) C. KLOCKII consilia P. IV, conf. 2, n. 34.
STRUCK de caut. test. c. XII. §. 11.
FR. MANTICA de coniect. ult. volunt. VI, 3, 42.

§. 52.

Personis incertis non iura quaesita ex ultima voluntate, qua iis prospicitur, competant?

Legatorum piorum personis incertis relictorum validitas, iam anteriori aliqua VALENTINIANI et MARCIANI imp. con-



stitutione (a) firmata, hodierni etiam iuris principiis, nulli dubio obnoxia est (b). Quum autem, cui legitime quid relinqui potest, eidem etiam ius quaesitum in id, quod legitime relictum est, competiturum videatur, in his quoque legatis, iuris quaesiti legatariorum seruandi eadem, quae in ceteris, principi religio commendanda videri posset. Non ita tamen res se habet. Personae scilicet incertae, quoad obiectum intuitu cuius incertae sunt, iura quaesita habere nequeunt. Princeps igitur huiusmodi aliquod legatum corrigens atque emendans nemini ius quaesitum aufert. Fac v. c. testatorem sic scripsisse: vni ex pauperibus vrbis, in qua natus sum, duo millia florenorum heres meus soluat. Princeps, maiorem legati pietatem fore ratus, si non vni sed pluribus pauperibus sustentandis legata quantitas adhibeatur, omnibus huius vrbis egentibus eandem distribui iusserit: — quid tibi videbitur? num iniustitiam ratione legatarii incerti committet? Minime credo. Nemo enim perfecte obligatus est ad dandum id quod alter iure perfecto exigere nequit: nemo autem pauperum in illa vrbe degentium, duo millia florenorum sibi soli, ex intentione testatoris soluenda esse probare poterit. — Longe alia tamen res est, vbi persona ab initio incerta, hoc illoue deinceps modo, certa facta fuerit. Testator e. g. annuos reditus ex C millium imperialium sorte prouenientes, in perpetuum tribus viduis ad dies vitae distribuendos legauit, viduarumque electionem executoribus permisit. Ante electionem factam legatariorum personae *incertae* sunt, post factam *certae*. Principi itaque modo commemoratam fortem in commune aerarium viduale fundandum conuersuro videndum erit, an aliqua vere vidua extet, cui electio ab executore facta ius quaesitum, quotam ex reductibus legatis sibi debitam exigendi, pepererit.

Huic

Huius ius suum absque iniustitia auferre non valebit: si nulla autem electa exstet, vel electae decesserint, quid ultra eius, circa mutandam fundatoris dispositionem, consilium impediturum sit, non equidem intelligo. Valet itaque regula, principem fundationes, in fauorem personarum incertarum conditas, emendantem, quamdiu illae incertae maneant, nemini iniuriam inferre, et, si praesumpta etiam pro eo fundatoris voluntas militare putanda sit, iuste omnino et e legibus agere.

a) L. 24. C. d. episcop. et cleric.

b) MANTICA l. c.

KLOCK l. c.

STAVCK l. c.

PARS II.

QUATENVS PRINCEPS IVRE SVO CIRCA VLTIMARVM VOLVNTATVM AD P. C. EMENDATIONEM VTENS EX VTLILITATE PVBLICA AGERE VIDEATVR?

§. 53.

Vtilitatis ratio nonnunquam suadet vt iure nostro non utamur.

Quam proverbio tritam sententiam nouimus, summo nonnunquam iure summam iniquitatem contineri, eandem eo vsque extendere licet, vt non semper, quid iuris sit, consilii etiam atque prudentiae esse, recte contendamus. Quum enim nequaquam semper ad id, quod iure agere possumus, agendum obligati simus, varii haud raro rerum euentus, vt aliquid de iure nostro, aequitatis seu propriae vtilitatis causa, remittamus, suadere solent, cuiuscemodi suasionibus obtemperare

perare prudentia iubet. Quod autem de priuatis valet, idem etiam de principe statuendum erit, eo tantum discrimine seruato, vt priuatis, vtrum iure suo vti velint nec ne, deliberantibus de sua tantum vtilitate et de suo commodo cogitandum, principi autem ad vniuersam reipublicae, cuius supremus curator constitutus est et magister, vtilitatem respiciendum sit. Quae tamen caue quales ita accipias, ac si imperantium *iura*, perpetua vtilitatis publicae computatione, limitari et minui contendam. Alia est iuris, alia prudentiae politicaeque artis ratio. Nec quod iustum est firmoque iuris fundamento superstructum in iniuriam vertitur, quia imprudenter et vtilitati publicae non conuenienter exercitum fuit. *Iura* immota manent: eorum exercitium autem, quamuis liberum semper et permillum, variis causis suaderi dissuaderiue potest. Ad boni autem principis officium id etiam recte referre mihi videor, vt, quoties vtilitatem publicam hoc requirere intelligat, toties de iure suo vel aliquid remittat, vel prorsus eodem non vtatur. Sic multorum v. c. imperiorum legibus ius belli et pacis illimitatum imperanti conceditur; quo tamen, dissuadente vtilitatis publicae ratione, pro lubitu vsus non iniuste quidem sed imprudenter et contra summum, cuius consequendi causa imperii gubernacula a subditis capessere iussus est, finem agere videbitur.

§. 54.

Applicatio.

Quaestio tamen illa, vtram alicuius iuris principi competentis exercitium vtile sit reipublicae an noxium, quam a multis fere semper temporum rerum hominumque vicissitudinibus eius decisio pendeat, absolute negari vel affirmari ple-

plerumque non potest. Recte enim, licet barbare, minimam circumstantiam variare rem, prouerbum iactat, et nihil tam incertum tam multiplex tamque parum sibi constans reperitur, quam utilitatis publicae ratio. Generalia tamen, ex vniuersa aliqua rerum contemplatione, principia depromere, iisque adhibitis litis certe summam dirimere concessum est. Quare nos etiam, postquam de *iure* principis circa pias foundationes emendandas conuenimus, quatenus eius iuris exercitium ad promouendam utilitatem publicam faciat indagaturi generaliter nonnulla disputabimus, facile tamen concedentes, ea, quae in vniuersum statuerimus singulis nonnunquam exemplis incongrua fore et minus conuenientia.

§. 55.

authoris sententia.

Quae equidem hac de re sentio eo redire ingenue fateor vt principem vltimas voluntates ad p. c. ea ratione emendantem, qua modo adhibita ius emendandi ei concessimus, utilitati etiam publicae quam maxime consulturum esse existimem. Quum enim qualicumque eiusmodi emendatione nihil aliud efficere velit, quam vt, quae pio fini destinata sunt, huic quam plurimum fini adaptet, et quam vberimos ex pia fundatorum intentione fructus eliciat; vix intelligo quid publicae utilitati magis salutare et consentaneum agere possit. Verae enim pietatis ratio, sincerum diuini cultus promouendi, pauperum alendorum, viduarum orphanorumue sustentandorum studium cum quantis publica salute et utilitate tam arcte cohaeret, vt, quicquid piis quibuscumque operibus emendandis et ad maiorem perfectionem promouendis fiat, in vniuersae reipublicae commodum

et

et vtilitatem factum putandum sit. Quod cum iam per se factis clarum cuius et perspicuum sit copiosius explicare speciosisque argumentis firmare facile quidem sed superuacaneum foret. Quare, missa omni vberiore rei expositione modo in duobus, quae a dissentientibus, si qui fuerint, contra nos, non sine aliqua recti specie, prolatum iri praevideo, argumentis refutandis aliquantulum commorari placet.

§. 56.

Dissentientium argumentum I.

Primum scilicet eorum hoc est. Nonne euenire poterit, vt, quam minima primum particula de vltimarum voluntatum sanctitate earumque sequendarum religione detracta, princeps malus et non tam saluti subditorum quam suae potestati et magnificentiae adaugendae prospiciens latius etiam vagari, et *quaslibet* vltimas voluntates, *sine iure et in rem suam*, euertere conetur. Notum est et tristissimis historiae exemplis confirmatur, quot saepe iniustitiae et faeuissimae tyrannidis facinora auri fames imperantibus suaferit. Quid euenturum esse arbitremar, si speciosissimum auaritiae pallium opportunissimumque omnium dispositionum priuatarum in rem suam, seruata iustitiae specie, rescindendarum iis praetextum praebuerimus?

§. 57.

Refutatio.

Quid? vsum igitur abusus tollet? Quod si concederem, omnes, quibus gaudemus, positiuas leges abrogandas propellendasque esse concedendum foret. Nullum enim ferius exstat, cuius non interdum exercitium, ne in abusum verti possit, metuendum sit. Procul itaque hinc Sctorum

Vel-

Velleiani et Macedoniani sancita; procul hinc doctrina de iureiurando; procul imperii maritalis auctoritas; procul principis aggratiandi priuilegiaque tribuendi potestas. Quid enim? posset tamen fieri, vt mulier, dolose pro altero fideiubens, tertium ad credendum alteri seduceret, deinde, ex fideiussione conuenta, exceptione Icti Velleiani creditorem repelleret creditoque fraudaret: posset tamen accidere vt filius familias Scto Macedoniano tectus in damnum et fraudem creditorum bona fide credentium ageret: posset tamen euenire vt, iurisiurandi falso praestiti auctoritate nixus, iniuriam iudex committeret; vt maritali imperio, crudeliter in vxorem saeuendo, maritus abuteretur; vt princeps, maleficos aggratiando priuilegiaque immodicetribuendo, detrimenti aliquid rempublicam capere sineret. Non humana sane feda diuina et magis quam diuina foret illa prudentia, quae iura hominibus constituere posset, quorum nunquam in abusum vsus vergeret.

§. 46.

Continuatur.

In iuribus principum diiudicandis, ad peculiarem huius illiusue principis bonam vel malam indolem respicere non possumus. Iura principi in abstracto posito et qua tali competunt; vtrum bonus sit an malus; vtrum bene iis vtatur an male, a prospera vel improspira rerum publicarum fortuna pendet. Nec, si quid semel iuris ad principem pertinere demonstratum est, vtrum id ei concedere velimus necne, quaeri poterit. Gaudet enim eodem princeps sine concessione nostra; vtetur iure suo, si bonus, abutetur si malus fuerit. Haec est sane fragilis humanarum rerum conditio,

H

vt

vt maxima semper reipublicae bene gerendae spes a peculiari magis imperantium qualitate et habitu quam a legum praestantia pendeat. Homines corrigite; principes, a tenera iuuentute inde, ad patriae amorem sublimisque, in quem nati sunt, finis seriam contemplationem effingite! Salua tum respublica erit, nec ullius iuris imperanti competentis exercitium in impiam utilitatis publicae fraudem unquam degerabit (a).

- a) Recte ergo quodammodo sensisse videntur, qui inanes teri et vanas de optima ciuitatis condendae forma disputationes asseruere. Optimam quippe reipublicae formam ibi reperiri, vbi optimus reperitur imperans. Notum est poetae anglici illud

For forms of Government let fools contest
Whatever is best govern'd is the best.

Pope.

§. 59.

Continuatur.

Malus denique princeps et publicam utilitatem propriae postponere non dubitans nullum curabit singulare avaritiae pallium, nullum specialem, vltimarum voluntatum finem iure in rem suam euertendarum, praetextum. Si quem tamen obtendere, et si quam saltem probitatis adhuc speciem prae se ferre curet, salus publica aderit, quam, cuiusque facinori perpetrando, causam praetexendam habebit. Quid enim tam immane, quid tam iniustum est, quod non, salutis scilicet publicae causa iam a regibus gestum esse historia testis sit. Poterit itaque fieri, vt princeps iure, circa foundationes pias certa ratione emendandas, vsus, ultra iuris sui limites procedat, et, falsas etiam emendationum rationes quaeritans, sibi metipsum emendando consulere tentet.

Bene

Bene haec monentur. Num vero minus hoc eundem acturum fuisse putabimus, si nullam ei, circa priuatorum dispositiones, potestatem leges tribuissent? *Terminos* enim iuris sibi competentis egrediens haud minus iniuste agit, ac si, cuius *nullam omnino* licentiam habuit, egisset. Bonus itaque iustusque princeps intra iuris sui se continebit limites; malum autem et improbum nec termini a lege dati retinebunt, nec curabit, si nullum sibi omnino ius competere intellexerit.

§. 60.

Dissentientium argumentum II.

Alterum, quod contra nos proferri posset, argumentum ita se habet. Nil homini dulcius est et carius quam quod ex eo ipso proficiscitur; nil ei sua voluntate praeclarius nihilque magis concupiscendum videtur quam strictissima eiusdem observatio. Ille profecto suae voluntatis amor, illa, ex legali vltimarum voluntatum sanctitate, concepta spes fore vt suae quoque voluntatis executio diligentissima sui memoriam certius determinatiuque ad posteros transferat, multis sane hominibus piarum dispositionum conficiendarum maius incitamentum praebere et tanquam calcar addere solet. Quid iam, si principem vltimarum voluntatum sanctitati derogantem et varia circa easdem emendantem videbunt? Nonne, quod circa pias *eorum* etiam foundationes ius exerciturus sit princeps, extimescentes, a piis legatis abstinebunt, et secularibus potius vrbibus, nulli, dum innocui sint, imperantis inspectioni subiectis sua legabunt? Nonne itaque sic potestas illa principis emendatoria in ip-

fam piarum caufarum fraudem et detrectationem vergere videbitur.?

§. 61.

Refutatio.

Speciosum sane argumentum, et grauiffimi, si refelli non poterit, momenti. Nec intelligo quomodo refelli poffet, fi liberum principi, vltimarum voluntatum ad p. c. rescindendarum, illimitatumque arbitrium concessiffemus. Quum autem, e mente noſtra, non niſi ad pium opus magis pium efficiendum, aliquid circa pias defunctorum diſpoſitiones emendare principi liceat; quum plurimi teſtatores piis cauſis prouidentes, pietatis et pii operis faciendi ſtudio compulſi, pie legare teſtariue ſoleant; plurimos illam principis facultatem non ſolum non verituros ſed etiam nouas ex eadem pie teſtandi illecebras capturos fore perſpicuum eſt. Quicumque enim diuino cultui promouendo, vel pauperum alimentatiõ adiuuandae, fundatiõ aliqua perpetrata, proſpicere uoluit; quicumque, vt finem ſibi propoſitum quam proxime attingeret, ſpecialeſ determinatumque fundatiõ uſum praefcripſit; quicumque tandem, quam parum temporis viciffitudinibus diſpoſitiones ſuas adaptare humana prouidentia ualeat, intellexit; eum profecto non deterrebit ſed eriget potius firmabitque principis illa de qua agimus, auctoritas. Nunquam enim piam ſuam intentionem morituram, nunquam pium opus, quod perpetravit, fini ſuo non reſponſurum eſſe, ſed in eam, labentibus annis, perfectionem erectum fore praeuidebit, quam ipſe adiecta determinatione intendiſſe ſibi conſcius eſt.

§. 62.

§. 62.

Continuatur.

Sed si quis sit, quem non vniuersale pietatis studium, ad prouidendum piis causis compellat — hunc sane futuras suae voluntatis emendationes auguratum, a piis foundationibus relinquendis deterreri posse concedimus. Sed ne huius quidem intuitu exercitium iuris sui cur dissuadeamus principi, intelligimus. Cui enim tantopere cordi est immotam inemendatamque voluntatem suam in aeterna saecula stare, is piaee foundationi clausulam adiciat, vt ad heredes tertiumue eius emolumenta redeant, sicubi quid circa eam commutatum fuerit. Habebit tum quod voluit; voluntasque eius, quum nullam, in fraudem iuris quaesiti tertio competentis, principi emendationem instituere liceat, quam strictissime in perpetuum seruabitur. Quin ii etiam quibus, in euentum factae commutationis, cedere legatum iusserit, custodes aderunt et vigiles, quorum oculos lucri cupidine armatos, minimam tantum emendationem suscepturus princeps nequidquam effugere speraret.

X 2368106

V
D
18

ULB Halle

3

007 678 258







B. 1799 var.

1798
8
6

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE
IVRE PRINCIPIS CIRCA IMMUTANDA
EMENDANDAQUE EA, QVAE IN
FVNDATIONIBVS AD PIAS CAVSAS
SPECIALITER A FVNDATORIBVS
DETERMINATA SVNT.

QVAM
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
ORDINIS
AVCTORITATE ATQVE CONSENSV
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS RITE
OBTINENDIS

D. XII. MART. MDCCXCVIII.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
CAROLVS GVILIELMVS KOPPE
HANNOVERANVS.

HELMSTADII
EX OFFICINA C. G. FLECKEISEN.

